

quaeque provintia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et Anthiochenum concilium dicit¹: Ut nullus episcopus ex alia provintia audeat ad aliam transgredi nisi litteris tam metropolitani quam caeterorum, qui cum eo sunt, episcoporum rogatus adveniat. Si vero nullo vocante inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus et ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quae ab eo geruntur existant; ipse vero incompositi motus sui et inrationabilis audaciae subeat ultionem, ex hoc iam dampnatus a sancto concilio. Et hinc Caelestinus papa dicit²: Iuxta decreta canonum unaquaeque provintia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationi^a locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuria^b. *Sit concessis sibi contentus unus. *f. 27. quisque limitibus; alter in alterius provintia nihil praesumat. Et Calcedonenses canones dicunt³: Decrevit itaque sancta synodus secundum canones patrum bis in anno episcopos in id ipsum in unaquaque provintia convenire, quo metropolitanus antistes probaverit, et corrigere singula, si qua fortassis emergerint. Et^c Cartaginense concilium: Placuit, inquit⁴, ut presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant et inter eos diffiniant adhibiti ab eis episcopi. Quodsi et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina iudicia, sed ad primates suarum provintiarum, sicut et de episcopis sepe constitutum est.

20. Quapropter et in eodem concilio⁵ Mauritania Scitifensis sep[a]rata^d a provintia Numidiense consensu ipsius primatis et consentientibus omnibus primatibus provintiarum Africanarum vel omnibus episcopis propter longinquitatem proprium primatem habere permissa est. Et Africanum dicit concilium⁶, ut causae, quae communes non sunt, in suis provintiis iudicentur. Si⁷ autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit iudices, et cum eo et ille, contra quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare. Et

^a) Zeilenende, doch anscheinend nichts verloren. ^b) Das folgende Blatt der Hs. ist herausgeschnitten; vom Text fehlt nichts. ^c) Hier beginnt eine andere Hand. Sie schreibt auf Rasur und viel enger als die erste. ^d) a, am Zeilenende, verblieben.

¹) MIGNE 67, 162 c. 91. ²) MIGNE 67, 276 c. 17; HINSCHIUS S. 560 c. 4 (J-K. 369). ³) MIGNE 67, 175 c. 19. ⁴) MIGNE 67, 192 c. 28. ⁵) MIGNE 67, 189 c. 17. ⁶) MIGNE 67, 214 c. 95. ⁷) A. a. O. c. 96.